TENTAMEN MEDICUM

DE AFFECTIONE HYPOCHONDRIACÂ


SEU HYSTERICÂ.

QUOD pro primâ apollinari laureâ consequendâ examini inclitissimorum nec non oculatissimorum Ludovicæi Medici Monspeliensis Professorum D. D. PAULI-JOSEPHI DE BARTHEZ, Regis in sacro Consistorio Consiliarii, Universitatis Cancellarii & Judicis, GASPARIS-JOANNIS RENÉ, Decani, ANTONII GOUAN, Pro-Decani. FRANCISCI BROUSSONNET, FRANCISCI VIGAROUS, JOANNIS SABATIER, JOANNIS-CAROLI DE GRIMAUD, HENRICI-LUDOVICI BRUN, subjicit

AUCTOR

NICOLAUS-FRANCISCUS DELLEHÉ, *è loco Theux in Principatu Leodiensi, Liberalium Artium Magister & jàm dudùm hujus Scholæ celeberrimæ alumnus, Octobris trimestri decurrente* 1788.

Non ignara mali miseris succurrere disco.
VIRG. ÆNEID. Lib. I.



AVENIONE,
Apud TUSSANUM-FORTUNATUM DOMERGUE, Typographum & Bibliopolam, propè Collegium.

Superiorum Permissu.



A MON CHER COUSIN ET ZÉLÉ TUTEUR M^R. D'ANDRIMONT.

MON CHER COUSIN,

IL est enfin venu ce jour où je puis faire éclater ma reconnoissance. Quel bonheur plus grand pour moi que de pouvoir témoigner publiquement ce sentiment si pur nourri par vos bienfaits ? Un seul, ceui de vous offrir quelque chose qui fût plus digne des soins vraiment paternels, que vous n'avez cessé d'avoir pour moi, dès le sortir de mon enfance : de ce noble désintéressement à mon égard que vous avez fait paraître en toute occasion. Daignez, je vous prie, recevoir l'hommage de cette foible Dissertation, non seulement comme un devoir que je renplis, mais encore comme l'expression des sentiments les plus respectueux avec lesquels je serai toute ma vie,

MON CHER COUSIN,

à Montpellier au mois d'Octobre 1788.

Votre très-humble & tou dévoué serviteur,
DELLEHÉ.





TENTAMEN MEDICUM

De Affectione Hypochondriacâ seu Hystericâ.



Ypochondrium undè *Hypochondriasis* venit à græco *sub*, & *Cartilago*, & apud Anatomes illam partium abdominis lateralium portionem audit, quæ intercedit diaphragma & ilia.

Hystericus undè *Hystericâ* affectio oritur græco uterus.

Patet ex etymologiâ morbos sub his vocibus designatos quoad sedem multum differre.

Celebres in arte viri, inter quos *Hoffman* (1), *James* (2), *Astruc*, (3), *Cullen* (4), Hypochondriasim &

(1) Hoffman, med. syst. tom. 4. part. 3.
(2) James, Dict. univ. de Medecine.
(3) Astruc, Mal. des femmes tom. 3.
(4) Cullen first lines of the practice of physic vol. 3.

Hysteriam ut affectiones morbosas distinctissimas habent.

Ut sententiæ veritatem comprobet *James*, argumentis fulcitur sequentibus : refert 1°. Quòd symptomata quæ Hystericis invadente paroxismo supervenire observantur, apud Hypochondriacos in eâdem circumstantiâ locum non habeat. 2°. Quòd hypochondriacorum paroxismi nunquàm sat subitanei nec sat validi sint, ut sensu voceque destituantur ut Hystericis sæpè accidit. 3°. Quòd venter apud Hystericas introtrahatur, cùm verò apud Hypochondriacos extùs protuberet. 4°. Tandem quòd Hystericarum dissecta cadavera ut plurimùm & præsertim uteri læsionem exhibuerint.

Commendat clarissimus *Astruc* ut fiat attentio ne vapores Hysterici mulieribus dicati in quibus scilicet quatuor symptomata ab illo tanquàm pathognomonica habita, quæ sunt uteri commotio quædam invadente paroxismo ; effluxus ex hoc organo humoris cujusdam lymphatici & acris remittente accessu, paroxismi coincidentia cum diversis uteri irritamentis & periodo menstruâ quæ ordinariò perturbata existit : globus ex abdomine ad collum tendens ubi suffocationis sensum efficit ; ne dico vapores isti cum Hypochondriacis confundantur, qui tùm viro tùm mulieri conveniunt, in quibusque modò relata quatuor phœnomena non manifestantur.

Ex his animadversionibus deduceretur Hypochondriasim & Hysteriam affectiones esse tùm sede, tùm phœnomenis, tùm sexu, essentiâ demùm discrepantes : attamen quodcumque pondus etymologiæ concedi possit ; quæcumque sit horum virorum auctoritas, utrinque causâ materiali exanimatâ, quæ morbis ambobus eadem mihi videtur, nimia scilicet systematis nervosi sensibilitas & mobilitas ; consideratâ ex utrâque parte medendi methodo, quæ similiter eadem eidemque scopo tendere nobis apparet ; cùmque ex his duobus punctis sola, vera, solidaque morborum

differentia

differentia petenda sit ; non possum quin terminos *Hypochondriasis* & *Hysteria* conjungam & tanquam synonimos habeam contendens quòd , si v. g. paroxismi apud mulieres frequentiores sint , symptomata numerosiora & vehementiora , undè discrepantia quædam deduci posset , illud sit accidentale & referri debeat muliebri idiosyncrasiæ valdè irritabili , ipsarum vitæ sedentariæ , quæ secundum expertissimum *Sydenham* nervosis affectibus plurimùm favet, & secundum clarissimum Professorem nostrum *de Grimaud* in suis de morbis nervosis prælectionibus , illas spasmo quasi continuo subjicit ; uteri existentiæ sensilis & mobilis valdè , qui menstruæ purgationis ratione diversimodè contrà naturæ leges modificatæ , diversarumque afflictionum quibus tàm sœpè mulctatur , puerperii (asserit Sydenham (1) quòd nil sit efficacius ad Hysteriam producendam quàm nimis prumptus à lecto discessus post puerperium) uteri dico existentiæ , qui affectiones nervosas plurimùm fovere & suscitare valet.

Liceat , quæso , præterea sentiendi rationem exponere circà perspecta superiùs allata opinionique nostræ contradicentiæ : 1°. Quoad etymologiam : sat nota est potestas quam utero tribuebant veteres ad morbos muliebres procreandos , ut patet ex Democriti ad Hyppocratem scribentis sequentibus verbis : *sexentarum ærumnarum innumerarumque calamitatum auctor est uterus.* Non minùs innotescit quanta olim humori nigro seu atrabili in liene secundùm antiquos segregato concedebatur facultas ad producendas affectiones melancholicas viris præcipuè competentes : petitur an indè intelligi posset quare una eademque affectio ratione harum causarum diversas corpo-

(1) *Sydenham in Dissert. Epist. ad D. Cole.*

ris regiones incolentium diversas denominationes sortita fuerit ?

2°. Rationes à doctissimo James allatæ non omninò firmæ nobis videntur : 1°. Quanquàm symptomata quædam apud Hystericas paroxismi initio apparentia Hypocondriacis tunc deficerent, non idcircò identitatem frangere licet, cùm illud à circumstanciis quibusdam accidentalibus, subjecti idiosynansiâ videlicet sensiliori quæ causis magis patet, dependere probabile sit. Hoc insuper argumentum contradicirur à *Willisii* (1) observantio ne sequenti apud virum quadragenarium factâ vaporibus offuscatum, qui in pluribus sibi subsequentibus paroxismis, paulò antè invasionem magnam intrà syncipùt sentiebat commotionem ; crebam oculorum caligationem & vertiginem perpetuam patiebatur ; ingruente, autem proxismo oculi variè contorquebantur, invertebanturque ; ab imo ventre sursùm versùs cor & thoracem moles quædam vivi instar animalis tendere, indèque ad caput obrepere videbatur ; illicò omnia membra convellebantur, &c. Tandem an morbi cujusdam distinctionem ponere liquet mediantibus phœnomenis quibusdam apparitionis tempore tantùm discrepantibus, cùm sœpè sœpiùs discrimen ex symptomatum undique consideratorum catervâ depromptum fallax sit, ut tàm expresè dixit eximius *Selle* (2). 2°. Ex eo quod eadem causa fæminas gravius quàm mares afficiat, non indè tolli potest morbi paritas, cùm à circumstantiâ gradûs ad rei essentiam argumentari minimè liceat. Falsum est tertium argumentum ex practicorum optimorum observatione, qui abdominis expansionem æquè ac retractionem & vice versâ ut phœnomena utrique sexui indifferenter competentia descri-

---

(1) *Willis, de Morb. convulf.*
(2) *Introd. ad Pyretol. Method.*

bunt. Ad quartum tandem respondemus quòd dissectiones cadaverum Hypocondriacorum vel vulgò dictarum Hystericarum sæpè nullas exhibuerint viscerum obstructiones : testatur egregius *Morgagni* (1) se corpus Hypocondriaci lustrando nullas invenisse obstructiones : accidit sæpissimè, ait clarissimus *Selle* (2) , ut nec obstructiones momentosæ nec uteri læsiones & vitia per dissectiones observentur , quin imò morbus idem (loquendo de Hypocondriasi & Hysteriâ,) apud mulieres interdùm vitiis hepatis, lienis & cæterorum viscerum conjungitur.

Sententia clarissimi *Astruc* ex sequentibus defectuosa nonobis videtur. Referri debet primum symptoma ad superficiem majorem quam mali impressioni exhibet muliebte corpus ratione uteri organi mobilissimi quo deficit vir. Quod ad humorem ex utero sub paroxismi fine effluentem attinet , non dubito quin hæc excretio omnibus undique paribus apud virum æquivalenti compensetur per diversa excretoria contingenti. 3°. Hoc morbo plurimæ afficiuntur mulieres quin vel adsit uteri quæcumque læsio, in mensibus vel levissima perturbatio , &c. , ut notarunt doctissimi *Pomme* (3) & *Whytt* (4) Quartum symptoma ex *Willisii* observatione partim modò relatâ contradicitur, cùm scilicet sensus ille ascendentis cujusdam corporis ex imo ventre , apud Hypocondriacos æquè locum habere possit.

Tandem opinioni nostræ pondus maximum addunt auctoritate genio , experientiâque pollentes in arte magistri *Boërrhave* , *Vanswieten* , *Sydenham* (5) , *Home*, *Selle*,

---

(1) *Morgagni de sed. & caus. morb. epist. 6. n. 2.*

(2) Selle méd. clinique tom. 2.

(3) Pomme, Traité des Vapeurs. pag. 168.

(4) Whyt , Mal. Nerv. tom. I.

(5) *Refert* Sydhenam *quòd ovum vix ovo similius sit quàm utròbique deprehensa symptomata.*

Nieztki, &c. qui nullum inter utrumque morbum difcrimen ponunt.

Natura Hypocondriafis feu Hyfteriæ, (hos enim terminos pro fynonimis habeo,) confiftit in extremâ fenfibilitate morali fyftematifque nervofi maximâ mobilitate phyficâ, quæ ex abdomine oriri, ibique præcipuam fedem habere videtur, ut probant fymptomata quæ fola morbi initio in hâc cavitate manifeftantur, dyfpepfia fcilicet, flatus, meteorifmi, Borborigmi, præcordiorum anxitates, &c.; quæque affectio fucceffu temporis minimâ occafione datâ præternaturalia ftupendiffimaque circà functiones tùm naturales, tùm animales phœnomena edit. Præeunte clariffimi *Selle* face, affero quòd ficuti in febribus æquilihrii inter fymptomata defectus notam febris nervofæ characterifticam efformat, ità in phœnomenis morbofis longæ durationis, idem defectus hypocondriacam affectionem conftituat.

Quadruplici modo Hypochondriafim confidero, 1°. Ut orientem cum fubjecto feu proveniat ab ægris parentibus, vel ab organorum ftructurâ particulari humorumque mixtione fpecificâ dependeat. 2°. Ut fucceffu temporis poft natalia advenientem, condenfationis vel expanfionis mortuum difproportioni in pueritiâ & præfertim ad pubertatis epocham fuccedentem; certis profeffionibus hominis à naturâ deftinationi minùs accommodatis debitam, vel humorum diverfis degenerationibus per contagium aut abufum circà res fex non naturales notabilem. 3°. Ut purè nervofam aut diverfis aliis corporis affectibus connexam. 4°. Cum exceffu toni, illius defectu vel in ftatu mixto ex his mortuum vitiis.

Aft fivè fit nativa, tempore acquifita, fimplex vel complicata, credo confidenter quòd medendi methodus levem ex his animadverfionibus utilitatem percipere poffit: etenim cùm in affectione noftrâ prædominium habeat læfio nervofa, facta fit independens feu idiopathica, mihi

mihi videtur principem indicationem illi referendam esse ; quòd circumstantia esse *nativa* vel *adventitia* prognosim tantum respiciat, & quòd complicationes diversæ symptomaticam indicationem solùmmodò exigant. Sed res ità non se habet ratione considerationis excessûs, defectûs toni, vel statûs illis mixti, cui innititur curationis cardo.

Juvat nunc morbi delineationem exhibere, symptomata quæ Hypochondriasim concomitari solent, duplici modo spectari merentur : alia enim sunt quæ morbi initio, dùm quasi adhuc in tenebris latet, apparent, alia verò quæ provecto malo & ad cumulum stante cernuntur.

In principio, postquàm jàm diù sub cinere insidiosâ latuit malum aliorum affectuum nervosorum more, qui naturam veluti concatenant impediuntque quominùs morbum statim manifestet viresque contrà illum potenter adhibeat, acuti non adsunt dolores nec spectanda circà functiones turbatio ; adest debilitas quædam, animi dejectio, melancholia, anxietas, delectamentorum societatisque fuga, solitudinis amor ; minimâ datâ occasione facilè irascitur ægrotans, levem quamdam patitur spirandi difficultatem ; datur absque calore sitis ; nullum medium servare quit æger, modò tenebrosam modò jocosam exhibens faciem ; vigiliis subjicitur, vel dormiens mala ominantibus somniîs cruciatur ; adsunt horripilationes frequentes ; calor volatilis per totum corpus discurrit ; modò frigus extremitatum modò æstus ; turbatur appetitus, mox anorexia, mox addephagia, plurima diversaque cupit ager alimenta, ast qualia præcisè nescit. Fluit copiosè salivalis latex, qui saporem nescio quem fatuum refert, osque mœstum efficit ; vitiatum sæpè est gustus organon, ità ut assumpta teterrimo sapore impregnata videantur. Sat sæpè ægrotantes in res absurdas & non esculentas incidunt, subindéque superveniunt vomitus, materies variegatæ, virides & mucosæ rejiciuntur, aliquando alimenta per plures dies in ventr.culo hærent absquè eo quòd ullam alterationem subeant. Sæpè constricta est alvus diùque moratur ager antequàm

alvum deponat : *Koemps* de Hypochondriaco loquitur, qui quamvis multum manducaret & antè tres hebdomadas ſcellam non petiiſſet, non idcircò obtumeſcebat abdomen, & illo tempore nec materies in majori quantitate nec pejori qualitate quàm in ſtatu perfectæ ſanitatis reddebat. Adſunt in viſceribus abdominalibus vagi quidam dolores, meteoriſmi, borborigmi, flatuum ſuperiùs inferiùsque cum levamine quodam ejectiones ; menſtruorum apud fæminas perturbationes frequentes, &c.

Provecto morbo hæc ſymptomata adaugentur & graviora ſenſim complicantur ob functionum perturbationem quaſi continuam. Sub omni formâ latet promethæus, graviſſimos omnes affectus mentiens, ſcilicet apoplexiam, ſyncopen, epilepſiam, colicam nephreticam, paſſionem iliacam aſthma, anginam, tumores omnis generis, hydropem incipientem, &c. Ventriculus & inteſtina mox flatibus uniformiter diſtenduntur, mox ſpaſmo vehementiſſimo conſtringuntur ; mox in ſuperficie abdominis externè varii apparent tumores elongati, duri, funium tenſorum inſtar, dantur ructus acidi, materies aquoſæ ut plurimûm vomitu ejiciuntur. Adeſt cardialgia crudelis & ſæpè revertens : ſenſus ponderis cujuſdam in ventriculo hærentis ; epigaſtrii irritabilitas maxima, ità ut tangi vel leviſſimè nequeat quin revertatur paroxiſmus, anxietates inſuperabiles ; Hypochondriorum dolores prementes, tendentes, thoracis & diaphragmatis conſtrictio ; pulſatio in abdomine anevriſma mentiens circà truncum iliacum ; dantur omnes morboſæ reſpirationis modificationes ; ſpaſmus viarum urinarium ; invadente duranteque paroxiſmo urina lympida quæ poſt paroxiſmum citrina appareat. Quoties accedente quolibet acceſſu urinæ limpidæ & abundantes effluebant, illum naturæ Hyſtericæ eſſe affirmabat celeberrimus *Sydenham*. Calor intolerabilis, quem cum invadente paroxiſmo ſubſequitur frigus intenſiſſimum. Sentiuntur in cruribus crampi, ventriculique vehementes contractiones cramporum cruciatus referentes, dantur convulſiones univerſales ut tetanos opiſthotonos ; motus convulſivi, tuſſis qui-

dem violenta, cordis palpitationes enormes; quanquàm pulſus parvus, vermicularis & ſæpè naturalis perſiſtat. Gutturis adeſt mox conſtrictio, mox inflatio. Oſcitatio, pandiculatio, riſus, fletus, clamores abſque causâ viſibili, magnæ inſpirationes, ſuſpiria recurrentem acceſſum ſæpè annuntiant. Vertigines frequentiſſimas patitur ægrotans, dolorem acutiſſimum in occipite præſertim perceptum, qui *clavus* vulgò dicitur; adeſt frigoris ſenſus versùs ſuturam ſagittalem; tinnitus aurium; apparet aliquando hæmoptiſis, ſecundùm *Schræder* ſpaſmum abdomini infixum pro causâ agnoſcens. Frequentiſſimæ adſunt aphoniæ; retulit nobis in ſuo curſu clariſſimus profeſſor noſter *Brun*, ſe hyſtericam noviſſe mulierem, quæ aphoniam patiebatur 24 horis quâlibet vice durantem, & tertio quolibet die revertentem, quæ alimenti fruſtum pro causâ occaſionali agnoſcebat, & kinam pro medelâ. Idem vir doctiſſimus nos fecit participes ſe notionem alterius hyſtericæ habuiſſe, quæ crura & pedes movere poterat dùm ſedebat, ecuntrà dum ſtans erat. Hæc affectio ſæpè per periodos irregulares revertitur; aſt etiam aliquando ægrum continuò atterit. Diverſi hujus morbi gradus habentur; aliquando ſæpiſſimè quidem perſiſtit ſenſuum uſus, quandoque verò planè ſupprimitur, obſervantur Hypochondriaci apud quos nulla datur reſpiratio, nullus pulſus, nullus calor, nulla ſenſibilitas, in perfectâ demùm aſphixiâ jacentes: hoc caſu ad vitam explorandam ſpeculum ori apponitur; ſecundùm expertiſſimum *Winſlou* vas aquâ plenum coſtis ſpuriis imponitur; veſicatoria applicantur, pro mortis ſigno certo ſola putrefactio habenda.

Quod ſpectat Diagnoſim prædominii, defectus vel ſtatûs mixti circà pravam mortuum tonicorum diſtributionem, clariſſimorum *Schræder* & *Selle* methodus, quæ naturam morborum mediante felici vel infelici remediorum effectu perſcrutari docet, eximia nobis videtur & quaſi unica.

Hypochondriaſis cauſæ ſpectari poſſunt 1°. Ut remotæ, ſeu illam nervorum exquiſitam ſenſibilitatem ad longùm efficientes,

2°. Ut formales seu morbum abdomini præsertim insigentes. 3°. Ut occasionales seu in actu ponentes quod absque illis in potentiâ repositum mansisset. Generatim mulieres pari causâ magis qnàm mares afficiuntur.

Causæ dispositionem nativam ad áffectionem Hypochondriacam considerantes nimis obscuræ nimisque ingenii sphæram superant, ut illis adhæream. A sequentibus adventitiam ut plurimùm deduco, antè omnia in duas classes temperamenta distribuendo, quæ illi præcipuè subjiciuntur: prima continebit constitutiones siccas, densas, biliosas; secunda temperamenta humida, phlegmatica. Præter hanc divisionem, suppono prætereà adesse utrobique systemati nervoso dispositionem quamdam, quâ certa individua paribus causis magis afficiuntur quàm commune hominum. Etenim secundum clarissimum *Selle*, causa materialis non esse debet hujus naturæ ut eadem symptomata apud omnes constitutiones communes producat, alioquin deinceps de affectu nervoso non magis ageretur. Prima posita temperamenta ad illam nervorum sensibilitatem mobilitatemque extremam causis sequentibus valdè disponuntur: sunt animi validæ commotiones, terror, mæror, ira, desideria inania, ad venerem impermissam proclivitas (hæc præsertim de mulieribus valet) vigiliæ, ingenii labor protractus, rebus abstractis, metaphisicis contemplationibus, mathematicis speculationibus infixus; curæ, sollicitudines, abusus calidorum, salsorum, acrium, in generali tonicorum omnis generis, & præsertim potûs café, quem nervosis affectibus his temporibus valdè vigentibus multùm contribuere existimo. Lusus aleæ, imperita kinæ in curandis febribus intermittentibus administratio, plantarum venenosarum nimis protractus in curandis diversis morbis usus; refert professor noster clarissimus *de Grimaud* se hominem novisse febri nervosâ convulsivâ defunctum propter conii maculati nimis longam administrationem extracti: vita sedentaria, omnia demùm quæ partium condensationi favent & mobilitati.

Causæ in phlegmaticos potenter agentes sequentes esse mihi

mihi videntur : evacuationes cujuslibet naturæ excedentes ; purgantium abusus ; observârunt *Forestus* & *Tissot* quòd tonicorum administrationis defectus post affectiones gastricas ad quas debellandas solet purgantium exhauriri collectio, fortiter ad hotum morborum recidivas disponat, affectionisque Hypochondriacæ cum toni probabiliter defectu generationi plurimùm faveat. Ptyalismus excedens, mercurialium usum sequens, vel Nicotianæ in fumum redactæ medianteque fistulâ ori attractæ, vel potûs excedentis thé, qui nervorum mobilitatem insuper valdoperè suscitare valet. Gonorrhæi fluxus maligni vel benigni : coïtus excedens sinceræ naturæ impulsum. Alimentorum usus, quæ digestivas vires non multùm exercent ; usus fructuvm immoderatus, jusculorum, ciborum levium, potuum diluentium ; immoderatum subitumque corporis augmentum ad pubertatis epocham. Partus frequentes ; refert celeberrimus *Boerrhave* quòd graviditates frequentes fibris magnam concedant debilitatem, laxitatem, subsequentemque hos status mobilitatem.

Causæ utrique temperamento communes haberi possunt viscerum obstructiones, virus omnis generis, prægressi morbi, humorum densitas, thoraculorum gestatio tàm sanitati nociva propter motus expansorii coarctationem & tàm parùm corporis formæ proficua, ne nociva dicam : retulit nobis in suo cursu clarissimus professor noster D^nus^ *Vigarous* se novisse juvenculam, quæ à tenerâ juventute thoraculis torta, oriente fluxu menstruo uteri lapsum perpessa est cum illius organi gravissimâ hæmorragiâ, quæ tribus sequentibus annis quâlibet menstruatione revertebatur.

Ut causas formales præcipuas habeo motuum ad abdomen directionem, quæ lege naturali circà 35 ad 40mum ætatis annum contingit. Tertiâ illâ vitæ epochâ evoluuntur systematis portæ æstuationes, spasmis occasio datur, fiunt humorum congestiones, stases, efformantur polyposæ concressiones, nervorum irritamenta, hæmorrhoïdum molimina, undè magni *Stoll* exlamatio qui majoris chronicorum partis inter venæ portarum

ramificationes causam reponebat; *vena portarum porta malorum*!
2°. Certas professiones, quæ trunci inclinationem perpetuam exigunt; inter alias habetur ars litteratoria, sutoris, sarcinatoris &c.

Causæ occasionales sunt minimi in potu, cibo respectivè ad qualitatem vel quantitatem excessus in motu & aliis rebus quas non naturales vocant Hygienistæ: odorum inspiratio, fatuarum præsertim secundùm *Home*; refert celeberrimus *De Sauvages* quòd Hysterica mulier paroxismum vehementissimum subierit percepto tuberosæ odore; inspiratio aeris aliquantulùm corrupti, vulneris aspectus, portæ crepitus, aditus aeris externi in cubiculum in quo ut ità dicam infigitur ægrotans; refert Dominus *Brun* se novisse Hystericam mulierem, quæ dùm appariebatur fenestra, quanquàm ab illâ sat remota foret, caput optimè tectum haberet & nulla daretur manifesta sensatio ex ingrediente aere, tamen frigus acutissimum in calvariâ patiebatur. Cum certis objectis antipathia, contradictio, minima punctura; vesicatoriorum applicatio, cujus exemplum mirabile retulit nobis in suo doctissimo cursu Dominus *Sabatier*; in primis viis hærens saburra, plæthora &c.

Ut jàm diximus huic morbo magis exponuntur mulieres quam viri: ast omnibus paribus minùs illis periculosè accidit, secundùm naturæ legem ab Hippocrate notam, quâ fit scilicet ut morbus quidam eo minùs periculosus sit, quò magis cum subjecti quem aggreditur constitutione consentit. Potest Hypochondriasis temporis successu evanescere, sed etiam quòd sæpissimè accidit, in alios affectus gravissimos abire, hydropem apud illos in quibus imminet robur physicum, tabem apud delicatulos, icterum, viscerum obstructiones, schirros &c. Per se lethalis non est, ast pertinacissimus, ità ut merito jure medicorum appelletur opprobrium. Curatu difficilior est si nativa sit vel jàm diù exîstat. Hypochondriasis cum toni excessu ad biliosam degenerationem tendere observatur; cùm illius defectui sociata, magis ad pituitosam vergat. Malum est si meticulosi sint

 180

ægrotantes, de ſanitate recuperandâ deſperent, phantaſiæ nimis indulgeant, & medicos cum medicamedtis ſæpè commutent diverſis. Curabile malum modò medicus prudentiam & æger conſtantiam adhibeant.

Triplici modo ſpectari meretur curatio, quæ alia morbi initio, alia in paroxiſmo, alia extrà illud eſſe debet.

1°. Caſu ſufficit diæta conveniens, tonica vel relaxans ſecundùm circumſtantiam; animi quies & ab objectis diſtractio malè afficientibus, exercitium, equitatio ſalutaris illa gymnaſticæ pars, quæ ſecundùm eximium *Sydenham* calorem nativum reſtaurat & fovet, ſanguinis mixtionem juvat, excretiones promovet, viſcera abdominalia leviter & ſalutariter concutiendo roborat. Refert ille vir ſapientiſſimus vaporoſi hoc ſolo medio curationem, qui in ſtatu maximè diſperabili jacebat. Itineratio, aeris puri reſpiratio.

2°. Caſu plurimùm valet medicina expectans; ne illud ſymptomatum chaos, qui ſingulo paſſu ſanguinis miſſionem, emeſim vel potionem purgantem indicare videtur, nos in errores turpiſſimos injiciat: plethora enim ſæpiſſimè ſpuria eſt, à ſanguinis orgaſmo proveniens. Vomitus à nervosâ irritabilitate frequentiſſimè pendet, ità ut emeſis irritando, gravius malum efficeret. Sufficiat in ſitu commodo ægrum reponere, ligaturas omnes ſolvere, & excitantia quædam adhibere, ſi ſenſu deficiat ægrotans: inter illa numerantur ſternutatoria, varii ſtimuli, odores penetrantes alkalia volatilia &c. fœtidi aſſa fœtida &c.

Tertii casûs indicatio eſt, paroxiſmorum occaſiones removendi, genus nervoſum roborandi, motuſque ad impulſum naturalem redigendi. Aſt cùm modò major modò minor in ſolidis tonus exiſtat & adſit ſæpè ex his duobus elementis morboſa complicatio; dentur ſæpè varia vitia ad longùm in ventriculo, Hepate &c. contracta, humoribuſque has partes irrigantibus undè humoralis vulgò dicta Hypochondriaſis oritur, neceſſariò therapeïa in claſſes diverſas abire debet. In remediorum expoſitione animus

eſt illa præcipuè conſiderare & delineare ; quæ relationem quamdam habent cum duobus affectionis noſtræ elementis atoniâ ſcilicet & Hypertoniâ , ſeu clariſſimorum *Pomme* & *Whytt* methodos exponere , quarum prima maximè relaxans eſt , ſecunda roborans. Quod ad complicationes diverſas attinet , & jàm contracta in diverſis organis & humoribus varia vitia, intentio non eſt his adhærere animadverſionibus , quarum nimis multiplicantur caſus , practica ſagacitati potius relinquendi.

A relaxantibus incipio : inter illa numeratur 1°. venæ ſectio ; quæ vires frangere valet , ſed nimis protracta convulſiones producit ut *Sydenham* videre fuit. Prodeſt dùm paroxiſmi pro occaſionali causâ cujuſdam hæmorrhagiæ ſuppreſſionem agnoſcunt, vel plethora tùm generalis tùm particularis vera exiſtit. Remedia ſuperiùs purgantia hoc habent incommodum ventriculum ſcilicet irritent ; inferiùs illum & inteſtina debilitent , conſtipationem procreent undè flatibus obſtaculum ; in illis ergò modus. *Koempſio* multùm profuerunt enemata ſæpè repetita diùque continuata , cum plantis emollientibus & reſolventibus compoſita. Potus diluens , depurans & demulcens , qui ſolidorum debellando rigiditatem , fluidorum denſitatem & acritudinem corrigit. Balnea tepida , quæ ſpaſmum ſolvunt , humores diluunt , calorem & diaphoreſim audaugent ; præſtat ut ad 32 gradum thermometri Reaumur flet liquor ; bis in die ſumuntur , manè ventriculo vacuo , & poſt meridiem quatuor horis poſt ſumptam refectionem. Obſervavit clariſſimus *Tiſſot* certos agros ni in balneo tepido digerere nequere ; hoc modo fiebat revulſio ſpaſmorum ventriculo valdè ſenſili infixorum , qui digeſtionem impediebant , quique calore & virtute balnei expanſivâ per totam corporis ſuperficiem diſſeminabantur. Melius eſt in balneo per unam horam immanere & illud in die repetere , quàm unicum ſumere & commorari magis. Balnea 32 gradum excedentia nimis vehementia ſunt ; in illis major eſt humorum ad caput affluxus , ſanguinis fit orgaſmus , ſudor immodicus excitatur , producitur lypothymia &c. Fomentationes , frictioneſque cum ſubſtantiis emollientibus

emollientibus ſolidis vel fluidis. Secundus febris periodus; aſt verendum eſt ne dùm epigaſtrii ſumma ſenſibilitas & irritabilitas eſt, & jàm invaluit malum &c, Prima periodus motuum concèntratione cardialgias, ſuffocationes producat, quâ de re cum maximo fructu conſulendus Dominus *Dumas* (1). Ratione virtutis ſuæ pacificantis in hâc claſſe reponi poteſt opium, quod tamen acris eſſe probârunt cxperimenta nuper facta. Conſideratum quidem ut anodynum nocere poſſet vires digeſtivas conſopiendo valdè debiles : obſervatum inſuper eſt illud ſoli ſudoris excretioni favere, omnes alias minuendo ; ità ut illius ſopiente miniſterio non fieri debeat uſus, ni irritationes vividæ, acutique dolores veniant, proximam indicationem poſtulantes. Proficuum omninò debet eſſe opium in complicationibus diverſorum ſtatuum morboſorum cum diatheſi Hypochondriacâ ; v. g. effectus optimos hìc producere deberet, ſi luis venereæ complicatio daretur, vel ſolum miniſtraretur ſecundùm novam ab anglis introductam methodum mala venerea curandi, vel mercurio aſſociaretur. Hìc etiam referenda diæta vegetalis, uſus fructuum boni moris, lactis quòd tanquàm vegetale haberi poteſt, ipſius præſertim ſeri quodbilem temperat, diaphoreſi diureſique favet. Refert clariſſimus *Tiſſot* ſe mediante lacte aſinino plures Hyſtericas ſanatum fuiſſe ; hoc caſu lac ſpectari debet ut remedium & alimentum.

Ad methodum roborantem ſeu illam à clariſſimo *Whytt* laudatam referuntur ſequentia ; cibus nutriens, multum chyli ſub parvo volumine comprehendens ; vinum generoſum, Burdigalenſe præſertim, quod tono pollet. Plantæ amaræ, gentianæ latea & centoreum, aurantiorum amarorum cortex in ſubſtantiâ vel in vino infuſus, ut vires digeſtivæ efficaciùs redintegrentur. Ipecacuanha fractâ doſi ; peruvianus cortex omni ſub for-

(1) Memoire ſur les avantages qu'on peut retirer de la fievre dans la cure des maladies chroniques, couronné par la Société Royale de Méd. de Paris, imprimé à Montpellier en 1787.

. ; folus vel amaris junctus ; martialia præparata, aquæ præ-
.ertim minerales ferrugineæ, quæ fecundùm *Sydenham* ab ipfius naturæ manibus offeruntur, intimiùfque fanguini permifcentur ; inter alios fontes, fpadani latices jure meritiffimo celebrantur : fi ferrugineis refiftat aquis affectio, commendat *Sydenham* ut æger fulphureas adeat, inter quas aquisgranenfes imminent, illifque intùs & extùs alternatim per duos menfes utatur. Scintillæ electricæ leves & diù continuatæ, quibus cùm fummo fructu utebatur celeberrimus *de Haën*, ad paralitica membra reftituenda : commotiones ecuntrà vim relaxantem poffident, ut notat Dominus *de la Roche*. Balnea electrica quæ humorum folidorumque tonum plurimùm adaugent. Frictiones ficcæ, aromaticæ. Balnea frigida, potus aqueus glacie refrigeratus, de quo confulendus expertiffimus *Teden. Hallerii* elixirium vitriolicum, bis in die popinatum ad 10 vel 12 guttas in aquæ puræ cochleari extenfas. Aromatum in vino rubro infuforum & quotidiè renovatorum fuprà abdomen applicatio ; equitatio &c.

Illuftriffimi Doctiffimique *de Barthes* & *de Lamure* exiftimantes toni defectum vel exceffum vario modo inter fe combinatos ut plurimùm exiftere, cujus mixti ftatûs pro diagnofi haberi poteft affectionis inveteratio, difficilis difquifitio an toni prædominium vel defectus habeatur, methodos modo relatas diverfimodè fibi immixtas cum optimo fucceffu adhibuerunt, pro circumftantiis ex unâ dementes alteri adjicientur, donec tandem fecundùm *Hippocratis* loquendi normam corpus in loco foret.